[Haupt, Moriz]
[Emandantur sex.
Propertii elegiae]

Mor. Haupt

De Propertii versibus quibusdam

1856

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI QVARTI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. VII. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLVI.

HABEBVNTVR.

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Sex. Propertii duo extant disticha eodem quo poeta vixit saeculo litteris consignata. in pariete enim basilicae Pompeianae post duos Ovidii versus hi duo Propertiani scripti sunt,

IANITOR AD DANTIS VIGILET SI PVLSAT INANIS
SVRDVS IN OBDVCTAM SOMNIET VSQVE SERAM,

qui versus ex elegia ultimi libri quinta desumpti sunt, ubi nostra exemplaria *dantes* et *pulset* habent; in alia autem parietum basilicae parte hoc distichon elegiae sextae decimae libri quarti legitur,

QVISQVIS AMATOR ERIT SCYTHIAE LICET AMBVLET ORIS
NEMO ADEO VT FERIAT BARBARVS ESSE VOLET.

atque hic quidem in nostris libris *scythicis* neque *feriat* sed melius *noceat* scriptum est. utrumque distichon litteris suis repraesentavit Christophorus Wordsworthius in inscriptionibus Pompeianis p. 7 et 19. vellemus autem homines illos Pompeianos non his versiculis sed non nullis ex eis qui in Propertianorum carminum exemplaribus depravati sunt parietes conscribillasse. veluti paullo post alterum distichon haec secuntur, *sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus;* in quibus quin *exclusis* mendose scriptum sit dubitare ineptum est, certam vocabuli emendationem nondum quisquam invenit: quamquam quod Lachmannus scribendum existimavit *et cursus*, neque nullam habet veri similitudinem et multum certe praestat futilibus commentis quae postea ad hunc versum adscripta sunt. non mirum est autem postquam e Propertii carminibus multa menda ab Italis saeculo quinto decimo, multa proximis saeculis ab aliis et nostra aetate a Lachmanno, non nulla etiam post Lachmannum sublata sunt, tamen haud paucos versus restare quos ita ut leguntur non scriptos esse a poeta aut adseverare firmissime aut probabiliter suspicari possimus, sed ut emendatio eorum magnam habeat difficultatem. est enim Propertius sane quam eximius Tibullumque, tenuem et simplicem poetam, ubertate et varietate, ingeniosam Ovidii levitatem veritate et pondere sententiarum, utrumque mentis inflammatione et caelesti illo instinctu sine quo Cicero grave plenumque carmen fundi posse negat longe multumque superat, sed idem non audax tantum est in figuris et verbis, verum saepe durus oratione et non numquam in conectendis sententiis subobscurus. ita fit ut haud raro dubitemus utrum minus concinna oratio

poetae condonanda sit an emendari debeat error librariorum, ibi autem ubi librarios errasse certum est incertior sit quam in simplicioris et tersi magis poetae carminibus emendatio. accedit exemplarium condicio, quorum quae sola certam auctoritatem habent Neapolitanum et Groninganum, eorum neutrum a mutationibus de industria factis liberum est: de qua re ante hos duodeviginti menses non nulla disputavimus. nihilo tamen minus conplura quae grammaticos adhuc fefellerunt vitia aut examinata diligentius carminis sententia aut codicibus Neapolitano et Groningano accuratius inter se conparatis et detegi et emendari possunt. ex utroque genere exemplum propositari sumus hac scriptione. quae si doctis hominibus destinata esset, defungi possemus disputatione brevissima; nunc cum iuvenibus haec scribamus bonarum litterarum studiosis, planius omnia videntur esse explicanda.

Itaque disputabimus primum de versu aliquo elegiae libri primi tertiae decimae, quam Propertius scripsit aut dum Cynthia Baiis commorabatur, ad quam eius commorationem carmen undecimum pertinet, aut cum alio discidio ab ea esset separatus. eius elegiae hoc est initium

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem.
at non ipse tuas imitabor, perfide, voces:
fallere te numquam, Galle, puella velit.
dum tibi deceptis augetur fama puellis,
certus et in nullo quaeris amore moram,
perditus in quadam tardis pallescere curis
incipis et primo lapsus abire gradu.
haec erit illarum contempti poena doloris,
multarum miseras exiget una vices.
haec tibi vulgares istos compescet amores,
nec nova quaerendo semper amicus eris.
haec ego non rumore malo, non augure doctus:
vidi ego: me quaeso teste negare potes?

persequitur deinde Propertius quid viderit, ni mirum amatoriam Galli et puellae voluptatem. eandem descripsit decima eiusdem libri elegia, quam sic incepit, *O iucunda quies, primo cum testis amori Adfueram vestris conscius in lacrimis.* sed decimum illud carmen posterius scriptum est quam tertium decimum: hoc enim ad recentem Galli amorem pertinet, decimum carmen Propertius fecit postquam, ut videtur, ira aliqua amantes diviserat aut ardor puellae paullum erat refrigeratus. in versibus autem illis carminis tempore prioris quos adscripsimus unum est vocabulum in quo peccasse librarios hominesque doctos male adquievisse putamus: nam quod versu octavo scriptum erat *adire*, id Itali in abeundi verbum rectissime mutaverunt stulteque eis non nulli nuper oblocuti sunt. sed versiculum tertium decimum negamus qualem libri praebent a Propertio scribi potuisse. quod qui solus vidit Petrus Francius

scripsisse poetam putavit *rumore vago*, id quod aptum est et satis probabile. Burmannus enim dum adlatis aliquot carminibus in quibus *rumor non bonus* aliaque similia dicuntur Francii suspicionem elevare sibi videtur, rem egit, ut saepe, oscitanter. nam dici posse Latine *malum rumorem* nemo dubitabit potestque id multo pluribus quam Burmanno praesto fuerunt exemplis confirmari, sed huic carmini minime convenienter dicitur. qui enim mali rumoris causa esse possit quod Gallus omissis vulgaribus amoribus uni iam puellae, ut ipse Propertius Cynthiae, deditus est eique tam pulchrae et venustae ut summis eam poeta laudibus extollat? deinde si vel maxime is rumor haberi posset malus, tamen hic inepte diceretur, ubi fama potius obscura et incerta certae rei cognitioni opponenda erat. neque vero rectius coniungeres *malo augure*, cum non *malo* dicendum esset, sed *fallaci*. itaque Propertius neque rumorem neque augurem malum dixit, sed aut levem et incertum rumorem, id quod Francii illud *vago* praestat, aut rumoris vocabulo, quod nullo epitheto indiget, nihil adiecit, sed aliter orationem conformavit. videmur autem nobis mutatione lenissima id quod Propertius scripsit restituere,

haec ego non rumore AIO, *non augure doctus.*

littera enim quae est *i* iam in ea scriptura quam Merovingicam cursivam technici adpellant, deinde proximis saeculis saepe numero sursum producitur ita ut ab *l* littera paene nihil distet. quo factum est ut deinde *l* saepissime scriberetur ubi *i* scribendum erat. veluti in hoc ipso Propertii carmine v. 16 Neapolitanus liber propter eundem errorem *inlectis* habet, carmine 18 v. 16 *delectis*, libro II carmine 9 v. 2 *electo*. itaque qui in illo versiculo *alo* legere sibi videretur neque intellegeret scriptum potius esse *aio* velletque orationi sententiam aliquam carminique numeros suos reddere, non mirum est si *rumore malo* scripsit, ut captus erat librariorum. de eadem autem elegia cuius versiculum correximus videmur aliquid posse utiliter addere. nam postquam Propertius Gallum maximo puellae amore ardere dixit, ita pergit, si libris confidimus,

nec mirum, cum sit Iove digna et proxima Ledae,
et Ledae partu gratior, una tribus,
illa sit Inachiis et blandior heroinis,
illa suis verbis cogat amare Iovem.

sed hic *Iove dignae proxima Ledae* Nicolaus Heinsius verissime scripsit, quem secutus anno MCCCXV Lachmannus recte ait '*dignam Iove* puellam frustra narrat, cum sequatur *Illa suis verbis cogat amare Iovem.*' non fuit enim tam pauperis ingenii Propertius ut nimis similia ita coniungeret. quas nugas Hertzbergius in hoc disticho coacervarit exponere operae pretium non est. verum Lachmannus quoque cum tres dici Ledam cum Helena et Clytaemnestra putavit, lapsus est per errorem. nam qui puellam modo Ledae proximam dixerat non potuit sic continuo eandem eadem Leda gratiorem dicere. vera carminis interpretatio, quam, nisi fallimur, etiam Lachmannus postea invenit, haec est ut Ledae partum tres eius filias esse intellegamus. etenim

Agamemno Euripidius in Iphigenia in Aulide v. 49 haec dicit, ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς παρθένοι, Φοίβη, Κλυταιμνήστρα τ' ἐμὴ ξυνάορος, Ἑλένη τε. Euripidem pariter ac Propertius secutus est imitator Ovidii in epistula Hermionae v. 75 ss. rapta, inquit, Helena *omnia luctus, Omnia solliciti plena timoris erant. Flebat avus Phoebeque soror fratresque gemelli, Orabat superos Leda suumque Iovem.* codices ibi *phoebique* habent, quod quomodo corrigendum esset Meziriacus et Heinsius intellexerunt.

Hinc ad aliud Propertii carmen nos convertimus, in quo quae vulgo leguntur intellegi possunt et vera videri, Propertium autem longe aliter scripsisse neglecta adhuc vestigia quae in codicibus insunt manifesto docent possumusque egregii carminis nitidiorem orationem reciperare. nam egregia profecto est elegia ultimi libri tertia, cuius primos versus adscribimus.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
cum totiens absis, si potes esse meus.
siqua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
haec erit e lacrimis facta litura meis:
aut siqua incerto fallet te littera tractu,
signa meae dextrae iam morientis erunt.
te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
te modo munito Neuricus hostis equo,
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
ustus et eoa discolor Indus aqua.
haecne marita fides et pactae sunt mihi noctes,
cum rudis urgenti bracchia victa dedi?

pulchra omnia, neque paene ultimus versus per se magnopere displicet traiecto verbo quod est *sunt*. sed *sunt* illud in nullo cuius aliqua fides est codice legitur: additum est in exemplari Regiensi a Lepido, unde Beroaldus elegantiae studiosus hunc versum ita conformavit, *haecne marita fides, hae pactae sunt mihi noctes.* in Groningano codice aliisque non nullis libris versiculo non pleno legitur *haecne marita fides et pactae mihi noctes.* id deinde Itali, quorum conatus libri nulla fide digni continent, alii aliter conplere studuerunt, partim commentis rudibus et ineptis, ut in non nullis codicibus scriptum est *et pacatae mihi noctes*, partim melius, quale est *hae num pactae mihi noctes.* quibus praestaret quod Lachmanno in mentem venit, *hae pactae a te mihi noctes*, nisi illud etiam *mihi* olim non lectum esse Neapolitanus liber ostenderet, in quo hic versus ita scriptus est, *haecne marita fides et parce avia noctes.* et *parce* quidem quin nihil aliud sit quam quod in Groningano libro recte scriptum est *pactae* non videtur posse dubitari; quod idem Groninganus liber habet *mihi*, id pro litteris illis *avia*, quae intellegi nequeunt, similive mendo rudi emendandi carminis conatu substitutum esse et per se credibile est (neque enim ex *mihi* fieri potuit *avia*) et manifestum erit si ex illis Neapolitani exemplaris litteris ea elicientur quae Propertio dignissima sunt. quid multa? scripsit poeta

haecne marita fides et pactae IN SAVIA *noctes,*
cum rudis urgenti bracchia victa dedi?

similis oratio est libro IIII 20 25, *qui pactas in foedera ruperit aras*, de quo versu Lachmannus rectissime iudicavit. savii autem vocabulo Propertius utitur libro III 29 39, *dixit, et opposita propellens savia dextra Prosilit in laxa nixa pedem solea.*

Miraturi fortasse non nulli sunt quod hoc adiecimus, usum esse Propertium savii vocabulo. desinent mirari cum didicerint Ovidium in tot versuum milibus creberrimaque osculorum commemoratione illud alterum vocabulum nusquam posuisse. sed volumus hunc locum accuratius explicare. itaque notum est quo discrimine grammatici haec vocabula separaverint. quorum Donatus ad Terentii Eunuchum III 2 3 haec adscripsit, *tria sunt osculandi genera, osculum scilicet, basium et savium. oscula officiorum sunt, basia pudicorum affectuum, savia libidinum vel amorum.* Servius autem ad Vergilianum illud Aen. I 256 *oscula libavit natae* haec adnotavit, *leviter tetigit. et sciendum osculum religionis esse, savium voluptatis.* ita exemplar Petri Danielis: in aliis haec addita sunt, *quamvis quidam osculum filiis dari, uxori basium, scorto savium dicant:* cum quibus conspirant differentiae Isidori, *inter osculum et pacem. pacem amicis, filiis osculum dari dicimus, uxoribus basium, scorto savium. item osculum caritatis est, basium blanditiae, savium voluptatis. quod quidam etiam versibus his distinxit, Basia coniugibus, sed et oscula dantur amicis, Savia lascivis miscentur grata labellis.* eadem aut similia in conpluribus medii quod dicitur aevi glossariis inveniuntur. quae persequi nolumus, cum tota illa distinctio vacillet et claudicet. nam et osculi vocabulum generalius est et basia non pudicorum tantum adfectuum sunt et rursum savia etiam pudica. neque suavitatis significationem in savii vocabulo mentibus Romanorum continenter obversatam esse exempla docent: quamquam a *suavi* haud dubie *savium* dictum est, extrita *u* littera, quam antiquiores libri non solent addere. recte igitur Nonius p. 424 *osculum* inquit *et savium, his intellectibus discernuntur quod ab ore osculum, savium a suavitate dicitur. Varro de vita p. R. l.* '*ideoque hoc ab ore dicitur osculum, non a suavitate, unde savium, quod simile sit saviunt*': ubi primi Varronis libri numerum addendum esse Rothius coniecit. sed depravatum est ultimum Varronis verbum, neque quae olim temptata sunt probari possunt: putamus Varronem scripsisse *unde savium, quod simile sit* SAVILLO. quodsi ita scripsit, non nimis scite vocabuli originem definivit: sed constat eum in etymologia saepe similiter peccasse. savillum autem, quod ex farina caseo melle ovo miscebatur, ubi percoctum erat melle unguebatur papaverque infriabatur, ut e Catonis rei rusticae capite LXXXIIII discimus, aut a *suavi* pariter atque *savium* dictum est aut fortasse ab ipso *savio*, quem ad modum nostri pistores dulciarii *basia* faciunt. savii saviandique verbis antiquiores poetae et scriptores non minus usi sunt quam verbis osculi et osculandi. itaque *savium* apud Plautum saepe legitur, praetereaque in Bacchidum versibus 116 et 120 a Godofredo Hermanno *suavisaviatio* pulchre restituta est idemque vocabulum, quod in Bacchisin plane ne-

cessarium est, Ritschelius Pseuduli versui 65 reddendum esse vidit ubi libri pariter atque illic habent *iocus ludus sermo suavis saviatio.* finxit igitur Plautus hoc vocabulum aut accepit antea fictum eiusdem vocis quasi geminatione. non dissimilia sunt *χελιχελώνη*, ut Bekkerus scripsit in puellari cantico a Polluce VIIII 125 adlato, tum Aristophanis illud *πονωπόνηρος* in Vespis v. 466 et in Lysistrata v. 350: nam sic rectius scribi videtur quam *πόνῳ πονηρός*, censetque idem Bergkius in poetis lyricis p. 1030. similia porro quodam modo sunt Doricum *αὔταυτος* et Theotiscum *selpselpo* et quod Reinmarus Zuiternensis dixit p. 147[b] *nu rât wie wir diz wiltwilde gelücke behalden, daz ez sich niht von uns zücke* et Philippi Zeseni *schlagschläge* in Simsone p. 403. possumus alia addere, sed in viam redeundum est. *savium* igitur dixit Statius Caecilius in Plocio (versibus apud Ribbeckium 160 et 161), Terentianus Thraso in Eunucho III 2 2 Thaidem ita adloquitur, *o Thais mea, Meum savium, quid agitur?* dixerunt *saviare* L. Pomponius in Munda (v. 84 Ribb.), Novius in Quaestione (v. 83). deinde Catullus *savia* habet LXXVII 8, LXXVIIII 4, *saviolum* LXXXXVIIII 2 14, *saviari* VIIII 9, XXXXV 12. ex Sisennae Milesiarum libro XIII Charisius p. 175 haec adfert, *nisi comminus excidisset 'quanti dantur?' 'tanti' inquit Olumpias; simul hoc dicens savium dedit, ut scilicet subsonaret quanti preti.* tum M. Tullius Cicero Bruti cap. 14 de L. Bruto haec dicit, *qui de matre savianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque coniecerit,* in qua narratione Livius I 56 osculi vocabulo utitur. sed idem Cicero in epistulis ad Atticum XVI 11 haec scripsit, *Atticae, quoniam, quod optimum in pueris est, hilarula est, meis verbis savium des,* videturque idem vocabulum fuisse in epigrammate quo Plinius epistularum IIII 4 Ciceronem questum esse narrat *quod fraude mala frustratus amantem Paucula cenato sibi debita savia Tiro Tempore nocturno subtraxerit.* etiam *saviandi* verbo Cicero utitur in epistulis ad Atticum XVI 3, *Atticam nostram cupio absentem saviari.* Q. autem Cicero ad Tironem scripsit ep. ad fam. XVI 27 *ego vos a. d.* III *kal. videbo tuosque oculos, etiamsi te veniens in medio foro videro, dissaviabor.* verum paullatim haec ex cultiore sermone remota sunt et retenta solum *osculum* deductaque ex eo vocabula, contra quam apud nos factum est: nam quod Goethius in iuvenili carmine dixit *ein mäulchen,* id hodierni poetae sermoni vulgari aut ridiculo relincunt. post Catullum *savia* invenimus in carmine catalectorum Vergilianorum quinto v. 31, quod carmen antiqui sermonis speciem refert; tum *savium* dixit Horatius, sed semel et in iambis, III 21. praeterea neque Horatius neque Vergilius his vocabulis usi sunt neque magis Tibullus aut Lygdamus aut, ut diximus, Ovidius. itaque Propertius cum bis diceret *savia,* non continuit se in cultissimi qui illa aetate doctis placebat sermonis finibus, quos omnino aliquotiens neglexit. sed invaluit vocabulorum illorum contemptio. nam post Propertium eorum poetarum quorum carmina habemus, si recte meminimus, nullus eis usus est, nisi quod amicus Gellii, *οὐκ ἄμουσος,* ut ait, adulescens, in interpretatione epigrammatis Platonici haec posuit, antiquam fortasse sermonis formam quaerens, *Dum semihiulco savio Meo puellum savior:* leguntur illa noctium Atticarum XVIIII 11. neque

minus scriptores ab illis vocibus abstinuerunt praeter antiquarios, Gellium Frontonem Appuleium. itaque Gellius ipse *saviari* habet III 15, *saviationes* XVIII 2. Frontonis quae huc pertinent transcribimus ex exemplaribus ab Angelo Maio Romae anno MDCCCXXXXVI editis. scribit igitur ad M. Caesarem libro II p. 28 *vale, domine, et matri savium da cum epistulam dabis, quo libentius legat.* idem vocabulum restituendum est libro IIII p. 82, *scis ut in omnibus argentariis mensulis, perguleis, taberneis, protecteis, vestibulis, fenestris, usquequaque, ubique, imagines vestrae sint volgo propositae, male illae quidem pictae pleraeque et crassa, lutea immo Minerva fictae scalptaeve, cum interim numquam tua imago tam dissimilis ad oculos meos in itinere accidit ut non ex ore meo excusserit rictum osculei et somnum:* haec enim sententiam accipient si scribemus *rictum osculei et* SAVIVM. saviandi verbum in eadem pagina invenitur, *nam periculum est ne ea re filia tua commota (ut est gravis et prisca femina) poscenti mihi manus et plantas ad saviandum ea causa iratior subtrahat aut gravatius porrigat;* tum in epistula ad Verum p. 139, *morem denique saviandi arbitror honori eloquentiae datum,* et libro I ad amicos p. 207, *uvarum avidissimus est: primum denique hunc cibum degluttivit nec cessavit per totos paene dies aut lingua lambere uvam aut labris saviari aut gingivis lacessere ac ludicrari.* denique libro ad M. Caesarem III p. 51 in codice haec scripta sunt, *ego vero etiam litterulas tuas dis. amo:* Fronto scripsit DISSAVIO, activa verbi forma, ut *saviare* ex Pomponio et Novio attulimus, *consaviare* ex Appuleio adferemus. cogitavit de hoc verbo etiam Maius, sed ut inutilia temptaret. postremo Appuleius *savium* habet metamorphoseon II p. 119 Elm., III p. 135, IIII p. 154, VIIII p. 227, X p. 249, in apologia p. 279, *saviolum* met. II p. 119, *saviari* eadem pagina et libro IIII p. 156, X p. 249, *consaviari* libro II p. 120, *consaviare* VI p. 182. tertium vocabulum *basium* et quae inde fiunt non conparent ante Catullum, qui *basia* dixit carmine V 7 13, VII 9, XVI 12, LXXXXVIIII 16, *basiationes* VII, 1, *basiare* VII 9, VIII 18, XXXXVIII 2 3. deinde *basia* sunt apud Phaedrum V 8 28, apud Petronium c. 21 p. 56 Hadr., c. 23 p. 64, c. 24 p. 67, c. 31 p. 95, c. 86 p. 319, c. 110 p. 384. idem Petronius *basiola* habet c. 85 p. 318, *basiare* c. 18 p. 51, c. 20 p. 67, c. 60 p. 232, c. 64 p. 247, c. 69 p. 264, c. 74 p. 284, c. 75 p. 285, c. 85 p. 317, c. 135 p. 489, *perbasiare* c. 41 p. 144. tum *basia* bis dixit Iuvenalis, IIII 118 et VI 384. deinde basiorum et basiandi vocabula inprimis amavit Martialis ususque eis multo frequentius est quam *osculo; basiationes* habet II 23, VII 95, *basiatores* XI 98. tum *basiare* Fronto dixit ad M. Caesarem libro II p. 36 et ipse M. Caesar p. 39, item Appuleius met. II p. 169, idemque *basiola* libro X p. 248. denique apud Marcellum empiricum c. 8 hoc incantamentum est, *os Gorgonis basio.* est autem *basium* fortasse peregrinum; certe Latina stirpe caret: neque tempore valde antiquo in urbanum sermonem receptum esse videtur; aliter enim Plautus vix eo abstinuisset. sed postremis linguae Latinae temporibus in ore vulgi praevaluisse inde certo colligitur quod in eas linguas quae ex Latina natae sunt migravit. Italorum est enim *bagio* vel *bacio*, Provincialium *bais*, Hispanorum *beso*,

Lusitanorum *beijo*, et quae inde fiunt verba: verbi quod est *baiser* infinitivo Galli pro substantivo nomine utuntur, similiterque Itali non numquam dicunt *il baciare.*

Quae postremo diximus adiecta a nobis sunt non quasi nova et incognita essent, sed ut data hac occasione iuvenes, quibus haec scribimus, moneremus ne in perquirenda Latini sermonis varietate earum linguarum quae ex Latina ortae sunt conparationem omittant: qua neglecta factum est non numquam ut vel doctissimi homines in errorem inducerentur. accidisse id putamus Friderico Ritschelio in ea disputatione quam Musei philologici sui tomo VIIII p. 158 inseruit. nam quod Plautus in Truculento V 56 dixit, *meliust te minis certare mecum quam minaciis,* existimat Ritschelius *minaciarum* vocabulum Plautum ut verbis luderet finxisse ioci licentia, transtulisse autem id vocabulum veteres quosdam Plautinarum fabularum non tam correctores quam corruptores ex hoc versu in duos alios eiusdem poetae versiculos. nam in Milite II 4 21, ubi in libris vulgatis scriptum est *non mihi possunt minaciis tuis hisce oculi fodiri,* quem versum Godofredus Hermannus meliorem reddidit scribendo *non possunt tuis minaciis hice oculi mi ecfodiri*, cum liber palimpsestus *minis tuis* habeat itemque *exfodiri,* vetus autem Camerarii codex *possunt mihi* et uterque *hisce oculis,* adparere fallaciam qua *minaciis* inlatum sit: scribendum enim esse *non possunt mihi minis tuis hisce oculis exfodiri* adgnoscendasque vetustas nominativorum formas *hisce oculis.* deinde in Rudente III 5 16 cum olim legeretur *minacias ego istas flocci non facio tuas,* Reizium recte scripsisse *minas*, quod in palimpsesto sit *minacias ego flocci non faciam tuas*, in eo *faciam* quidem conservatum esse ex antiquo et probo exemplari, sed *istas* deletum esse ab eo qui versum quem minaciarum vocabulo depravatum accepisset aliquo modo emendare vellet. quod nobis lubricum esse videtur genus disputandi. nam in Militis quidem versu palimpsesti libri auctoritati minime repugnamus, nisi quod nullam causam esse videbimus cur *minaciis* potius ex Truculenti versu quam ex vulgari sermone sumptum putemus: sed eundem librum etiam in Rudente sequendum esse existimamus. etsi enim Ritschelius prudenter multisque exemplis docuit ne ab hoc quidem libro errores abesse librariorumque aut grammaticorum commenta, tamen sine gravissima causa eius auctoritas non videtur esse contemnenda, ne Plautinarum fabularum emendationis, praeclare a Ritschelio incohatae sed multifariam ambiguae, difficultas augeatur et omnia fiant incertissima. putamus autem hic sine causa contemni. nam ut ab *audaci contumaci efficaci fallaci pellaci pertinaci pervicaci* fiunt *audacia contumacia efficacia fallacia pellacia pertinacia pervicacia,* a *tenaci* Ennianum *tenacia,* Ausonianum *procacia* a *procaci,* ita non mirum est si a *minaci* dicebantur *minaciae,* non ioco Plautino sed vulgi consuetudine: nam plurali numero similes sunt *fallaciae.* neque potest illud vocabulum Plautus finxisse. quid enim? putabimusne ex uno versu singularique ioco Plauti transire potuisse in eas linguas omnes quae ex Latina originem duxerunt? atqui Italicum est *minaccia,* Provinciale *menassa,* Hispanum *amenaza,* Gallicum *me-*

nace. itaque existimabimus potius sumpto ex ore vulgi vocabulo Plautum in Truculento usum esse necessario, commode in Rudente.

Parva sunt quae disputavimus, ut fere fit in grammaticis quaestionibus, et exiguum quasi specimen praebent ex una parte litterarum quarum ingens ambitus aestivarum scholarum enumeratione, cui ista praemisimus, adumbratur. eis scholis vos, iuvenes carissimi, ita usuros esse speramus ut adsiduitatem et diligentiam vestram non desideremus.

⌈Haupt, Moriz⌉
⌈Emandantur sex. Propertii elegiae⌉